



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Petrus Damiani.22. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

22. Feb. VITÆ SANCTORUM. 131
justitiam custodire, avaritiam contemne-
re, superbiam humiliare, pars magna
Martyrii est. S. Aug. serm. 250. de
Temp.

S. PETRUS DAMIANI.

22. Februarij.

Dubites magisne primò fortuna
PETRUM, an PETRUS
deinde fortunam fugerit. Infans fa-
me siti que periisset, nisi ubera, qua
mater dicam an noverca? morituro ne-
gaverat, aliena nutrix præbuisset. A
fratre natu maximo porcis pascendis
præfectus cum nummum reperisset ar-
genteum, cogitanti in quas potius ille-
cebras eum expenderet, sanctior co-
gitatio persuasit Sacerdoti dare sacra
facturo. A Damiano denique fratre,
cujus velut patroni nomen postea tulit,
litteris admotus, eas primò celeriter di-
dicit, mox etiam applaudente Italiâ do-
cuit; sed memor injuriarum, quibus
mundus eum exercuerat, blandientem
jam & ipse averfatus, inter summos ho-
nores, corpus coepit duriter habere, æ-
stum libidinis rigentibus aque mergere,
sub veste splendidâ cilicium occultaris;
denique inter Anachoretas se abdere,
ibi que è discipulo magister sanctioris
vitæ miraculis coruscare. Tantam virtu-
tem Pontifex purpurâ ornavit; quam

I 2

CUM

132 VITÆ SANCTORUM. 22. Feb.
cum nemo unquam dignius, & majore
Ecclesia bono tulisset, anno M. LXXII.
cum vitâ posuit; vel eo solo nomine,
quòd Officium Horarium D. Virgini sa-
crum in memoriam & usum pristinum
revocavit, omnibus Sodalibus memo-
randus, ex cujus divinissimis scriptis,
vel hos versiculos, quos suo tumulo in-
scripsit, recoluisse operæ pretium sit:

*Vive memor mortis, quò semper vivere
possis: (ecce venit.*

*Quidquid adest, transit; quod manet,
Quam benè providit, qui te malè munde
reliquit, (mori.*

*Mente prius carni, quàm tibi carne
Ex Surio & Baron.*

*Ei, qui omnia elargitus est, universas
opes dato; nunquam Dei liberalitatem vin-
ces, quamvis omnium tuarum facultatem
jacturam feceris, quamvis te etiam facul-
tatibus adjunxeris; Nam hoc quoque ipsum
accipere est, Deo aliquid donare. S. Na-
zianzen. Orat. de amor. pauperum.*

S. MARGARITA POENITENS.
22. Februarij.

MARGARITAM hanc in Perusino
agro invenimus: nitorem ejus in
juventa Amor turpis extinxit, restituit
deinde D. Francisci disciplina. Viro
nobili olim, imò Veneri serviebat. Is
domo